



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XXII. Refelluntur ineptiæ Tilemanni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

Ad alia verò confirmanda dogmata, nescio quis vñquam Catholicorum visiones animarum attulerit. Sed nō est hoc ipsum vestrum mendacium.

Quod vltimo loco adfers de prohibitione ciborum, & c. iugij, satis perspicue refellitur ab AVGVSTINO lib. 10. contra Faustum, cap. 6. vbi sic ait: *Si ad virginitatem sacerdotiū, quemadmodum hortatur Apostolica doctrina; Quod nuptum benefacit, & qui nō dat nuptrum melius facit: vianas esse nuptias diceretis, sed meliorē virginitatē sciat. Ecclesia, quae verè Christi est Ecclesia; non vos Spiritus fratris ita prænunciaret, dicēs, prohibentes nubere. Ille enim prohibebit, qui hoc malum esse dicit, nō qui huic bono aliud melius anteponit.* Et infra: *Videtis ergo multum interesse interstantes ad virginitatem, bono minori bonum amplius prænendo: & prohibentes nubere, concubitum propagationis solus propriè nuptialis est, vehementius accusando: Malum interesse inter abstinentes à cibis propter sacram significationem. Vel propter corporis castigationem; & abstinentia cibis, quos Deus creauit, dicendo, quod eos Deus non manuat. Proinde illa doctrina est prophetarum, & apostolorum; hec demoniorum mendacio quorum. Hac Augustinus prof& pro nobis. Nec est opus aliquid addere.*

Concludit Illyricus: *Constat ergo ex hisce signis, papam se illum ipsum verum Antichristum, de quo Scriptura futurata sunt.*

Sed aptius fortasse conclusisset hoc modo; constat ergo ut hisce mendaciis, Illyricum esse unum ex præcursoribus illius, quem impudentem ore futurum esse S. Daniel multo antea prædictit.

## CAPVT XXII.

### Refelluntur ineptiæ Tilemanni.

*Tilemannus* Heshusius in libro quem inscripsit de sexcentis erroribus Pontificiorum, cum debuissest inscribere, de sexcentis mendaciis Lutheranorum, proprium titulum de Antichristo fecit; is est 33. titulus, & complectitur errores quatuor. Sic igitur ait.

PRIMO,

PRIMO, Pontificij dicunt, Antichristum ex Babylonia de tribu Dan venturum esse. Compendium Theologia lib. 7. cap. 8.

Habemus gratias Tilemanno, qui tam antiquos & tam sanctos Pontificios esse docet. Nam si Pontificij sunt, qui dicunt ex tribu Dan Antichristum venturum; certè Pontificij sunt Irenæus, Hippolytus, Ambrosius, Augustinus, Prosper, Theodoretus, Gregorius, Beda, Aretas, Rupertus, Anselmus, & Richardus: hi enim omnes, ut supra ostendimus cap. XII. communis consensu docent, Antichristum nasciturum de tribu Dan. Sed perge.

SECUNDO, Papistæ negant; Romanum Pontificem cum suo sodalitio esse verum Antichristum, cum id validissimis & apertissimis verbi diuini testimonis comprobetur & demonstretur.

Sed nos ista testimonia nondum vidimus: nec in nostris Bibliis Hebraicis, Græcis, Larinis, vsquam extant. Quæ enim à vestris testimonia adferuntur, Romanum Pontificem ne nominant quidem.

TERTIO, docent; Antichristum tantum tribus annis cum dimidio regnaturum. Compendium Theologia; &c.

Hic vero immortales tibi gratias agimus, quod Papistas esse fatearis, non solùm omnes veteres Patres; verùm etiam Danielem Prophetam, & Ioannem Euangelistam. Et sanè miseret me tui & tuorum, quibus fœcē duntaxat Scriptorum reseruas, omnibus doctis, & probatis Patribus ad Papistas allegatis. Vide si placer quæ supra docuimus, cap. VIII. atque inuenies diserris verbis docuisse, quod tu Papistas docere affirmas, Irenæum, Hippolytum, Cyrillum, Hieronymum, Augustinum, Theodoretum, Primasium, Aretam, Bedam, Anselmum, Richardum, Rupertum, & etiam Danielem & Ioannem.

QUARTO, docent; Antichristum interfectum iri in monte oliueti. Compendium Theologia lib. 7. cap. 14.

At hī quoque magnos viros Papistas facis. Siquidem Antichristum in monte oliueti interficiendum esse, ex ipso Daniele & Esaia colligit Hieronymus in commentar. cap. II. Danielis. Theodoretus quoque in eundem locum scribens, etiam si montem oliueti non nominat, affirmit tamen Antichristum non procul à Hierosolyma esse necandum. Sed vi-

eee 5 deamus

deamus iam quibus argumentis errores prædictos refuta-  
Subiicis enim continuo antidotum in hæc verba.

Nuga Pontificia de Antichristo, quia nullo testimonio sua  
Scriptura nituntur, reiicienda & detestanda sunt. Nam in  
Hieronymus recte loquitur, quod in Scriptura auctoritatem  
non habet, eadem facilitate contemnitur, qua assertum. Et  
Paulus monet, Et nobis caueamus a traditionibus hominum  
Col. 2. Hoc autem dico, ne quis vobis falsis rationibus imponat,  
&c. Item: Videte ne quis vos deprendetur per Philosophiam pia-  
Ex Verbo Dei petendū est quid sit de Antichristo sententiam,  
Et 1. Ioan. 2. Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? hic est Antichristus. Itē 2. Thess. 2. Homo peccati & filius  
perditionis effert se super omnem Deum, &c. Item Matth. 24  
Exorientur Pseudochristi & Pseudopropheta, & edent signa,  
&c. Item Daniel. 11. Et faciet munitionem Dei Marzii, &c.  
Item Apocal. 17. Et vidi mulierem ebriam de sanguine San-  
ctorum, & de sanguine Martyrum Iesu. Ex his sacra Scriptura  
testimoniis liquido appetat, que sit fides Christiana de Anti-  
christo, quem Christus, & Apostoli predixerunt venturum. Ei  
cum luce meridiana clarus sit singula exactissime cognoscere  
in Romanum Pontificem, dubitari non debet, quin Romani  
ille tyrannus pessimus sit Antichristus. Hac ille,

*ad formam syllogi*

Non erit molestum, credo, si hæc tua argumenta proponam  
rudiiores ad formam syllogisticam reuocemus, & inde con-  
tationem supra scriptorum errorum apertissime conclusum.  
Sic igitur refellitur error PRIMUS. Nuga Pontificia,  
quia nullo testimonio Scriptura nituntur, reiicienda & de-  
standa sunt: At verbū Dei clamat: Qui negat Iesum esse Christum, hic est Antichristus. 1. Ioan. 2. Igitur error est dicere, An-  
tichristum ex tribu Dan esse venturum.

ALTER error ita confutatur; vt Hieronymus recte dicit,  
quod in Scriptura non habet auctoritatem, eadem facilitate  
contemnitur, qua assertur. Sed Paulus ait: Homo peccati &  
perditionis filius effert se super omnem Deum. 2. Thess. 2. Igitur  
errant Papistæ cum negant Papam esse Antichristum.

TERTIUS sic, & fortius, quia ex duabus Scripturis. Pa-  
lus ait: Hoc autem dico, ne quis vobis falsis rationibus imponat,  
&c. Coloss. 2. At exorientur Pseudochristi, & Pseudopro-  
pheta, & edent signa, &c. Matth. 24. Igitur error Pontificio-  
rum

rum intolerabilis est, qui Antichristum tribus annis cum di-  
midio regnaturum dicunt.

POSTREMVS sic, & fortissimè, quia ex tribus Scripturis.  
Paulus monet: *Videte, ne quis eos deprædetur per Philosophi-  
am, &c. Coloss. 2.* Atqui Antichristus faciet munitionem Dei  
Maozim. Daniel. II. & Ioannes videt mulierem ebriam de san-  
guine Sanctorum, Apocal. 17. Errant igitur toto cœlo Papistæ  
cum dicunt Antichristum in monte oliueti esse occidendum.

Dabit veniam candidus lector, quod ita ridiculè Tileman-  
num exceperim. Coëgit enim me impudentia hominis, qui  
cum nihil adferat dignum confutatione, tamen ita garrit, ita  
gloriatur, ac si demonstrationes Mathematicis certiores &  
clariores in medium attulisset.

## CAPVT XXIII.

### Refelluntur mendacia Chytræi.

**D**VID Chyträus in comment. cap. 9. Apocal. ex-  
plicans visionem illam Joannis, qua quinto An-  
gelo tuba canente primùm visa est ingens stella  
de cœlo cadere in terram, cui data est clavis pu-  
tei abyssi. Deinde visus est fumus ex abyssi densissimus ascen-  
dere, qui solem & aërem obscurauit: Postremò ex fumo visæ  
sunt prodire locustæ quædam admirabiles, quæ paulò pòst  
etiam equorum, & leonum, & scorpionum, & hominum ar-  
matorum speciem præ se ferebant. Hanc, inquam, visionem  
Chyträus explicans, ita eam Romano Pontifici conuenire  
existimauit. atque ab aliis existimari voluit, ut diceret: *Anti-  
christum, seu ordinem Papatus Romani in hac visione descri-  
bi, non dubium est.*

Et quidem initium huius visionis ab anno Domini DC. su-  
mendum esse docet, ac stellam illam de cœlo cadentem Gre-  
gorium magnum Romanum Pontificem, eiusque successo-  
res esse, qui abiectis clauibus regni cœlorum claves putei a-  
bysii receperunt. Fumum ex puteo prodeuntem esse corru-  
ptelas doctrinæ variasque traditiones Pontificum Romano-  
rum. Denique examen locustarum vult esse Episcopos, Cleri-  
cos, Monachos, &c. ac vt fumum istum aliquo modo dissipar-  
et, proposuit antithesim doctrinæ Pontificie, & Euangelice,

*Antithesis:*

seu